

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

T.

No. 38.

21

ELEGIA FVNEBRIS:
IN OBITVM MA-
GNIFICI ET CLARISSIMI
VIRI DN. CASPARIS NÆVIL
Medicinæ Doctoris & in inclita Academia Lipsensi
Professoris eximij, qui obiit X. Calend.
Decembris, Anno Salutis
M. D. LXXIX.

Scripta à
MARTINO RHEDERO
Hartensteinense.



Lipsiæ
APVD HÆREDES JACOBI
Berualdi.

Anno M. D. LXXIX.



Allor an? hoc fuerit, quod me sors impro-
ba dudum

Ducere non gratas fecit in Urbe mo-
ras?

Hic ubi Phœbæo se Numine iactat ELIster

Diues, alens SOPhiam IVSticolamq; chorū.

At mihi secessus Heliconis & ocia fontis

Quærere BERSMANO præside cura fuit.

Proh dolor, exhalans Patriæ cadit inclitus ille,

Spe prius, & Musis NÆVIVS ille cadit:

Quem iussi, Clarium nuper cessurus ad ALBIM,

Nestoris incolumes continuare dies.

Credibile est: nec enim fieri sine Numine Diuūm

Rebus in humanis omnia posse putes.

Ab cecidit: precibus semper contraria nostris,

Abstulit è Furijs Atropos una virum?

Nil valuit firmo vegetans in corpore sanguis

Nil alios artem perdocuisse suam:

Qua felix poterat tristes depellere morbos,

Sæpe tuas inhibens, Parca dolosa manus.

Qua te Phillyrides doctumue Machaona præstet,

Alter Apollinæ Duxq; Paterq; scholæ.

Pectus & ingenium dederat Tritonia Pallas,

Suffecitq; suam Cynthius autor opem.

Vincere debuerat virtus, in pectore virtus

Heroo, & vera cum pietate Fides.

A 2

Cana

CANAFides, multos quæ rarior exulat annos
Phœnice & quicquid rarius esse potest.
At pulcrum nihil est, multos quod duret in annos,
Cuiq; velit rapida parcere Parca manu.
Illa carens oculis, nullo discrimine, monstrum
Adiuuat indignos, impetiosa bonis.
Cladibus innumeris celeres urgemur in horas,
Respice, subsequitur nil, nisi triste mori:
Fluminis huc instar propero pede labimur omnes:
Cuiq; suæ mortis stat modus, hora, dies:
His magis incertum nihil est, nil certius illas
Cum senibus iuuenis, si vocat hora, perit.
Quemq; modo validum rutilus conspexit Eous,
Ad Stygias ductum vespere vidit aquas.
Præcipites fluuios verbis & carmine Circen
Vertere & Ææam sistere posse ferunt:
Haud aliter currus sisti figiq; volantes
Solis, & alipedes nocte regentis equos.
Adde quod arboribus florens sua redditur æstas,
Frigore depulso, gratia verna rosis.
Non tamen, abruptæ reuocet qui stamina telæ,
Quiq; rapax fatum flectere posset, erit.
Ipse licet, tellus latè quas fuderit herbas,
Phillyridesq; vigil pharmaca cuncta ferat.
Rore suo quamuis ægros Pallantias artus,
Quo fertur senium pellere doctas, riget.

Præda

Præda iacet Paridis, cum Nestore fortis Achilles,
Doctus Aristoteles cum Cicerone iacet.
Sic Stygium cum Fratre tenet Podalirius amnem
Clarus, & Hyppocrati nulla medela fuit.
Quid loquar aut referam? Patrijs sic excidit oris
NÆUIVS, ingenio non minor, arte pari.
Cui tamen imbuto vera pietate fideq̃
In Domino vitam claudere dulce fuit.
Nam Flos Dauidicus, longè qui præterit illos,
De super auxilium præsidiumq̃ tulit.
Non mæstas Erebi latebras, Noctemq̃ profundam,
Non caua sulphureis stagna subiuit aquis.
Sed Mundo positus multùm meliore, per æuum
Gaudia cum caro Fratre beatus agit.
Quem pietas eadem celebrat, doctrina fidesq̃,
Cognita Rutigero Saxonicoq̃ DVCI.
Felices animæ, quas vitæ CHRIS T E redemptor,
Sanguine curatas contigit esse tuo.
Nunc Virtus antiqua dole, clarumq̃ requirat
Arte Machaonia Teutonis ora senem.
Quando parem reddet, quem viuere posse decebat,
Sed nihil in vita quod cupiebat erat?
In peius Patriæ præuisa clade ruentis
Maluit ad superas uertere terga domos.
Qua nec Aristoteles nec cum Platone Galenus,
Nec legitur codex Bartole magne tuus.

A 3

Cum

Dum dolor, ambitio, morbus, procul ardor habēdis
Omnis & æthereis sedibus error abest.
Sed cœli proceres inter, sanctumq; senatum
Cum cantu Cytharæ gaudia plena vigent.
Tu quoq; Phœbe gemens sacros proscinde capillos,
Turba doles, triplici iuncta nouena choro.
An Fons Castalius præ diuite sordet Elister?
Uosne premit Sophiæ causidicumq; forum?
Si tamen hic aliquo miseris ornauit honore,
Nolite amissum velle silere decus.
Illius eloquio quoties ego forte fruebar,
Fatidicum lateri rebar adesse DEVM.
Quæq; mihi tum verba dedit monitusq; Paternos,
Cum meritis hærent pectore fixa meo.
Est aliquid sacros vatum coluisse libellos:
Nulla sed (aiebat) commoda Musa feret.
Maius erit, rectè Diuinum spargere dogma:
Quod tibi cum profit, dulcius esse potest.
Quo feror infelix? Vocem cognosce supremam,
Sancte senex, cineri dandaq; iusta tuo.
Nam quia non tenuem poscit tua gloria Musam,
Gloria quæ viridi viua resurgit humo:
Defleo defunctum Musis, animumq; resumens
Lætor, Cœlestem te subeunte scholam.
Quæ, positis quæ Mūdus amat sequiturue Patroni
RECTO Remq; pio concinis ore DEVM,
Cuius

*Cuius & arcanam cernis, bona summa salutem,
Lectaq; de viuo cespite mala geris.
Sittibi Pax. Nobis spes & solamina CHRISTVS,
Ingratam trahimus donec in orbe moram.*

*Suo Antonio eiusdem Filio
dedicat Autor,*



157-20-20 WERNER

Einige Gedanken von dem Herrn
Johann Christian Gottlieb
zu dem Herrn Johann Christian Gottlieb
dedicirt



Nr 407.
80




ULB Halle 3
000 997 781


Sb.

[Faint blue ink scribbles]

VD 17





21

BRIS:

MMA=
ARISSIMI
RIS NÆVIL
Academia Lipsensi
it X. Calend.
Salutis
X.


DERO

ES JA

XIX.

WIV

8873



Farbkarte #13